

GENEROSISSIMO POTENTISSIMOQVE DYNASTÆ

CAESARI DE BALSAC

EQVITI, COMITI DE GRAVILLE, BARONI DE DVNES,

GYE', HERICY, DOMINO D'ENTRAGVES, MARCOVCYS, LE BOIS MALESHERBES,

Regis à secretis Consiliario, Quinquaginta Cataphractorum Equitum Duci fortissimo:

necnon & Fiduciario Regiorum castrorum Præfecto.



VANQVAM sua sit per otium etiam sub laciniosis centonibus virtuti pulchritudo: (COMES GENEROSISSIME) nihilominus in ampliore fortuna vt latiorem locum obtinet, ita meliùs quàm inter humiles casas conspicitur: pauciores quippe casus occupat angustioris fortunæ mediocritas, tantúmque gloriæ quantùm periculi minuit. Vtar magnis exemplis nec auitæ dignitatis sed tuæ; ecquid enim per auorum curules longóque ordine amplissimæ domus stemmata depressiorem stylum fatigem? qui in te vno maiorum virtutes premi nec solus videam. Testata siquidem omnium oculis animi tui magnitudo per exercitas hyemes durásque æstates inter bellorum tumultus dubiíque Martis discrimina, dum arma sua horreret ciuilibus in sese conuersa discordiis Gallia, te tot trophæis nobilē quot obsidionibus, excidiis, deditionibus vrbium, pugnis, stragibus, seditiosa rebellio victricibus regum armis ausa occurrere se obiecerat, te honestis truncum vulneribus animo integro, te vnum tibi tuísque in gloriæ titulum erexit: & quasi æqua satis spatia non haberet, pluribus iam triumphis quàm annis grauem vix dum puberem in lectissimæ legionis Tribunū sub HENRICO tertio vocauit, qui licet nondum ætati iam gloriæ & imperio sufficeret: habuit & se dignum non otiosa sterilísue sub HENRICO quarto pretium tua virtus in Catpultarij equitis præfecturā quæsita. Tibi debet Gallia receptam Samarobrigam in cuius obsidione Iberis copiis ad Longi-prati pontem velut Cocles alter tanto animi robore te opposuisti vt fracto illorum impetu his concilia, præsidiariis spem auxilij & salutem interceperis. Edita ad Auniacum pagum Germanorum cædes, vindicata Iuliacensium Principum ditio ab Hispanorum factionibus in qua vt Gallica signa sic illorū iura primus firmasti, tuæ sunt fortitudinis beneficia. Quidni igitur ausim te Cæsare Rubiconem traiicere? & in hac tabella prouocatoria quæ Cæsarem vehit eiúsque fortunam, huiusce certaminis periculosam aleam experiri? Ibo quò me tuus Genius vocat, tuaque virtutis & fortunæ mole nunquam ciuilibus quassata dissidiis confidentior in arenam descendam. Da me speratā vti gratiā (COMES FORTISSIME) & facilem sollicito veneratori sic occupati nominis indulgentiam: vt quam singulis in te suspicere licet virtutem: hanc mihi adorare, appellare, sectari, in hancque palæstram, cui sine cædis horrore suus etiam decor est, ad meam gloriam liceat traducere: da paternis officiis ea quibus nec per ætatem, nec per tua beneficia locus est, qui horum multitudine antiqua semper obruas: non ideo tamen tam bona nomina non appellando mala fieri vnquam sustinebit non minùs genere quàm animo.

Tibi deditissimus,

IACOBVS BARELIER.

QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII. FEBRVARII.

M. BARTHOLOMÆO BARALIS Doctore & Medico Regio, moderatore.

An ſaturis quàm ieiunis Vigiliæ infenſiores?



IPPOCRATIS inuentum Hygieine partium Medicinæ antiquiſſima, optima magiſtra vitæ melioris, tantò cæteris potior, quantò ſanitas morbo, ſola laxat fata mortalium, quanquam inani voto ἀγηρασίας: huius leges nec periculo nec querelis vacant, quia tota στοχαστικὴ artificis induſtriam incerto caſu exercet aſſiduè. Vt totâ noſtri parte iniuriis occurrimus, ſic illi nos exhibemus: quò magis ſumus magis periclitamur, ſuáque habet beneficia ortus infelicitas etiam inter damna rerum externarum, quarum indulgentia corrumpit inquilinos. Harum tumultus vt continui ſic grauiores, vbique obuii vbíque metuendi conſuetudine cicurari neſciunt. Ne credas fugâ vitaſſe inclementiam, quum abſunt duriùs premunt. Imò fatale penſum nobis facimus, auidè adeo pretioſa quęritur vel in optimis nocendi licentia. Λασταυροκακκάβων μόλυνσις reliquis peior: πολυτρόφων moles funeſta. Nec vna iniuriæ facies: vigilia, Venus, vomitus aluum ſiſtit, ſubducit: vt hordeum, maza, cochleæ, braſſica, malum Cydonium: labore algemus, æſtuamus: tenues, craſſos, ægros, ſanos balnea lædunt. Ἀζυγὴς pugnantium facultas ſæpe eódem fertur: calor, frigus exſiccat, vrit, humectat: motus, quies, ſomnus, vigilia vitæ fomitem ſuſcitat, extinguit. Sæpè fit viciſſim natura rerum ἀμφιλαφής: ſpiritus cohibitio poros aperit, occludit, expurgat, infarcit: alimentis corpus εὔσταλὲς, debile, εὐκίνητον, pigrum redditur: à ſomno ſolertia, ſtupiditas, facultatum damna, commoda.



LLORVM diſpar in nos imperium: vis quippe alimenti maxima, aëris minor, etſi huius in vtero & extra vterum maior neceſſitas; nullus vtrique ſine coctione aut διακρίσει vſus, ſumma pernicies, lethale commercium. Amborum precaria eſt gratia, hæc pulmonis, illa ventriculi, labes plerúnque αὐτοφυὴς in cibo certior, præſentior, frequentior. Quod terra plantis, id in animalibus appetitus δυσεκβιάστου ſedes ventriculus, neutiquam ex vmbra, pororum μετασχηματισμῷ aut partium μυζήσει famelicus, primaria alimenti ἑστία cuius integritate ſtat ſanitas, vitio ruit. Definita cuilibet organo actionum iura à prioribus pendent, quæ hæc peccauêre, illa traduce luunt maleficio. Alibilem ſuccum ceu ἐπιπλείαν κύλικα partes ſingulæ ſibi propinant, ſingulis ventriculus. Nec proinde eſt quòd mireris in priuato negotio partium ius publicum ſæpiùs violari: vt hæmatωſis ὁμοιώσει, ita chylωſis αἱματώσει operoſior; hinc ciborum moleſtior στασιασμὸς & crebrior, quia natiuâ caloris penuriâ frigidior ventriculus, niſi huius vectigale beneficium omento deberetur, hepati, lieni, quin & alui recrementis, fruſtraneo interdum συγκριτισμῷ propter ὠμοφαγίαν, præcipitem boli Theſſalici deglutitionem, (vnde heluonibus, edentulis ægrior valetudo, vita breuior, τοῖς μὴ ἀμφοδοῦσι μηρυκισμὸς) collectioris circa cibos ventriculi phagedænam, immodicam ſitim, quam ſomnus, balneum, vomitus lenit, cibus accendit, potus irritat, aut natiui caloris in partes extimas per vigilias laboréſue ἐπανάκλησιν. Contrà μυδοσχὴς fiet δίαιτη ſi ingeſti alimenti vbertas (cuius vis mole, ſubſtantia qualitate melior) labori, calori, vſuíque reſpondeat, nutritioni, incremento, robori: quare pueris, hyeme, veſperi, menſa pollucibilis eſto.



VÆ his legibus non regitur ſanitas lacinioſa eſt. Oneri potiùs quàm vſui exuberat repletio ingluuiei vernacula, habitu infida. Pœnæ iam ſufficit non operæ inanitio, & vtriſque deterior cruditas κωθωνισμοῦ, λαιμαργίας ſoboles. Ciborum varietas ſimplici interdum & parciore victu optabilior, ſine ſomno cum crapula grauat cephalalgiæ, tremoris, blæſitatis, delirij, vertiginis: cum ebrietate ſenſus motúſque exoluti conſcia. Bene firmo addita ventriculo plethoram naturæ denſioris hoſpitem congerit, cuius fallacia quamuis ἀχώριστα argumenta, corporis grauitas, tenſio, vaſorum tumor, nec ante obſeruata ſegnities: vnde muſculorum σπάσματα, venarum ruptiones, ὑποφέμενοι, humorum παρεμπλάσεις, ſomni implacidi, confuſa inſomnia, ἀλλόμορφα, helucus, domeſtica obſtructio, ζύμωσις, putredo, incendia. In prauos humores cibus degener priuatos & gentilitios cuíque parti morbos ceu iniquius γεγανόμιον malignè rependit, cutem crebris fœdat vlceribus, Chironijs, ὑπονόμοις, δυσεπουλώτοις tibiis quàm capiti infenſioribus. In imbecilli ventriculo alimentum fit venenum; hinc ſingularum partium σύγχυσις, ἀγγείων ἀκαθαρσίαι; hinc κλύδωνες, acidi ructus, à cibo inſidioſè ſilentes πάταγοι, alui tormina, κλυσμοὶ, hypochondrij μετεωρισμὸς, ξύντασις, viſcerum ἐπάρσεις, calculus cuius ortus à calore, frigore: & nota pueris, mulieribus, ſpadonibus arthritis; hinc νωεμίη, lienteriæ, habitus σφηκώδης, tumores aquei, crudi, morticina caro, ſudores miliares, conuulſiones, rigores, tandem aliena ſacris Hygeæ τειχόρροια.



RTIS non eſt morbo debere ſanitatem: laborem labore, ſatietatem vomitu, crapulam crapulâ, vigiliis cruditatem fatigare quid opus? vbi fecerit fiduciam præſidij tutioris imperata quies, νηστείη, νηφαλίη, ac præ cæteris ſomnus genialis. Hic cerebri non cordis refrigerio, humidi tantùm ſi naturalis, ſi veternoſus frigidi vaporis ἀναφορᾷ non ἀνθυποστροφῇ, caloris in intima receſſu non compulſione, ſine dolore non ſine ſenſu, ſolis animalibus nec ſolus conceſſus, morborum ἐπίκουρος, facultatum animalium inſtaurator, naturalium ἐπίτροπος, vnus par tot malis, dum captiuum cogit in præcordia calorem, nec ante abſolutam chylωſin (cuius incerta ſpatia ſola cibi & ſtomachi metitur conditio) priſtinæ reddit libertati: hinc ciborum & ſomni viſceribus amica conſpiratio, fatale diuortium, atque vt ſibi mutua ſic æqualis ad vitam neceſſitudo. Non eſt igitur quòd operis ignauia cruditati faciat locum. Otio partium bene vtitur ad negotium ventriculus, hepar, lien, renes: ideo τὰ φωλεύοντα per hyemem habitiora multò, obeſiora, vt pueri, quia ſomniculoſi. Quid incaſſum naturæ à cibo ad ſomnum inuitanti reſtitas? internuntiis νυσταγμῷ, oſcitatione, membrorum συνιζήσει, horridulo ſuperiorum ſuccuſſu, quaſi in corporis penetralia iamiam ituros ſpiritus calorémque iuſsâ ſtatione ex deſtinato eximeret, parendum eſt. Solùm opus ore compreſſo, pluribus obuolutum ſtragulis, in aurâ frigidiore, vt vigilem ſiniſtro, ita dormiturum dextro te lateri applices. Pueros, ſenes, bilioſos, à labore, balneo, cibo ſomnus etiam diurnus iuuat, quemlibet quouis tempore vel Epimenideus, quum habet ſuſpicionem cruditatis malè coërcitæ gulæ conſcientia: non ideo terrificus ſi ſorbilis, νήδυμος, δυσέκδυτος, qualis eſt mulieribus, ἀδηλοφλέβοις, pomilionibus, macrocephalis, formoſis, φαγεσώροις, ventre hiſpidis.



ON otio vænit ſanitas, non alimento, nec vtrique viuimus licet ab vtroque vita. Cibi laboríſque virtus contraria alterna viciſſitudine hanc beat, congreſſu affligit præſertim in λυχνοβίοις. Sors vitæ prior, melior, longiorque vigilia, eò chylωſει, hæmatωſει, ὁμοιώσει infenſior, quò ſobrio magis amica ventriculo. Heterogenea ideo alimenti ſubſtantia fecit vices neceſſarias motus & vigiliarum ad διάκρισιν, quietis & ſomni ad σύγκρισιν: hic humoris alimentarij ſuauitate partes recreat, illa inutili liberat excrementorum ſarcinâ, quorum vt natura ſic mora peſtilens, ἐφθότητα quæ longioris ſomni comes eſt, καρηβαρίαν minuit, ſpiritibus puritatem, membris robur adjicit ſi mediocris & ieiunos exerceat. Vt ſomnus ἐπιδόρπιος ita Venus, balneum, labor ἔντονος opportuna antecœnia: quídni & temperatæ vigiliæ? queis in exhauriendo minor his virtus eſt, nec ſua tum vtilitas deeſt: ſolæ melancholicis, bilioſis, ſaturis fugiendæ metu αὐαντῆς, vt ſiccos quàm humidos, ita ſaturos quàm ieiunos citiùs grauiúſque occupantis: quos naturalis ex penuriâ ſenſus partium, tempeſtiuo ſuctu ventriculi coëgit ad cibum, dum laborant reparabilis humidi paupertate ἄνικμα membra, & per coquentis ventriculi moras in σύμφυτον λιβάδα auidum calorem affinémque πυρώσει conuertunt, ſimul tractione præmaturâ, non ἀκραιφνὲς ſicut in ſomno, ſed ob vigilias (quibus vnà cum ſiccitate augetur appetitus) crudum impurúmque ſine fœnore non ſine damno cœnâ ambulatoriâ feralíque proliciunt: vnde maraſmi (qui ſolus ieiunos ex vigiliis minatur) ineuitabili fato exoluta penè naturalis facultas, excrementorum pondus & feritatem accumulat.

Ergo ſaturis quàm ieiunis vigiliæ infenſiores.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS BARELIER Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIII.